This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600088432V

MONITA SECRETA

PATRVM

SOCIETATIS IESV

NVNC PRIMVM TYPIS EXPRESSA.

ROMAE

CIↃ IↃ CCLXXXII.

110. k. 113.

PROOEMIVM
SEV
PRAEMONITVM.

Privata hæc monita cuſtodiant diligenter, et penes ſe ſervent ſuperiores, paucisque ex profeſſis ea tantum communicent, et aliqua de iis inſtruant non profeſſos, quando nimirum cum fructu ſocietati uſui ſint, eaque non niſi ſub ſigillo ſilentii, nequidem ut ſcripta altero, ſed ex peculiari experientia ſumpta. Et quia multi ex profeſſis horu ſecretorum ſunt conſcii, ideo vero initio cavit ſocietas, ne ullus conſciu poſſet ad alias religiones ſe conferre, excepta carthuſianorum ob perpetuam vitæ abſtractionem et inde libere ipſorum ſi-

lentium, quod etiam sacra sedes nobis confirmavit. Cavendum omnino, ne ad manus externorum hæc monita deveniant, quoniam sinistre interpretarentur, destinationi nostræ invidentes. Quod si hoc accidat, quod absit, negentur, hæc esse sensa societatis idque per illos confirmando ex nostris, de quibus certo constet, quod ea ignorent, exponanturque suis monita nostra generalia et ordinationes seu regula impressa vel scripta. Superio-
etiam solicite et caute inquirant sem-
an etiam alicui externe a nostris hæc
a prædicta sint. Nullus autem hæc
aut pro alio describat, aut describi
ttat, nisi conscio Generali vel Pro-
li. Et si de asservandis tantis secre-
ie aliquo dubitetur in contrarium illi
putetur et dimittatur.

CAPVT

CAPVT I.

Qualiter ſocietas præſtare ſeſe debeat cum incipit de novo alicujus loci fundationem.

I.

Vt ſe gratam reddat incolis loci, multum conducit explicatio finis præcepti in regulis, ubi dicitur ſocietatem ſummo conatu in ſalutem proximi incumbere, æque atque in ſuam. Quare humilia obſequia obeunda in xenodochiis, pauperes afflicti et incarcerati inviſendi, confeſſiones prompte et generatim excipiendæ, ut inſolita in omnes charitate et rei novitate eminentiores incolae loci noſtros admirentur et ament.

2. Meminerint omnes, facultatem ad exercenda ſocietatis miniſteria modeſte ac religioſe petendum, ut omnes, tum præ-

ſertim eccleſiaſticos, tum ſæculares, quorum authoritate indigemus, benevolos ſibi facere ſtudeant. —

3. Ad loca diſtantia etiam eundum, ubi eleemoſinæ, quantumvis parvæ, recipiendæ: expoſita neceſſitate noſtrorum, eædem deinde dandæ aliis pauperibus, ut ſic ædificentur ii, qui nondum ſocietatem noverunt, vel ſint in nos tanto liberiores.

4. Omnes eundem videant habere ſpiritum, ideoque eundem morem exteriorem addiſcant; ut conformitas in tanta diverſitate perſonarum unumquemque ædificet: qui ſecus fuerint, tanquam nocivi dimittantur.

5. Caveant noſtri, emere fundos in initio. Sed ſi quos emerint nobis bene ſitos, fiat hoc mutato nomine aliquorum amicorum fidelium et ſecretorum. Et, ut melius luceat paupertas noſtra, bona, quæ vicina ſunt locis, in quibus collegia habemus, per Provincialem aſſignentur collegiis remotis, quo fiet, ut principes et magiſtratus habeant certam notitiam redituum ſocietatis.

6. Non

6. Non divertant noſtri cum intentione reſidendi per modum collegii, niſi ad urbes opulentas. Finis enim ſocietatis eſt, imitari Chriſtum ſalvatorem noſtrum, qui Hieroſolymis maxime morabatur, alia autem loca minus præcipua tantum pertranſibat.

7. Summum pretium villicis ſemper extorquendum, inculcata illis ſumma noſtra neceſſitate.

8. In unaquaque provincia nemo niſi Provincialis noverit præciſe valorem redituum, ſacrum autem eſſe quantum crumena romana continet. —

9. Concionentur noſtri et utique in colloquiis propalent, ſe ad puerorum inſtructionem et populi ſubſidii veniſſe, et omnia gratis et ſine perſonarum exceptione præſtare, nec eſſe in gravamen communitatis, ut cæteri Ordines et Religioſi.

CAPUT II.

Quomodo principum et magnatum et primariorum ubicunque patres S. I. familiaritatem acquirent et conservabuntur.

I.

Conatus omnis ad hoc imprimis adhibendus est, ut principum et primariorum ubicunque locorum aures et animos obtineamus, ne sit, qui in nos audeat consurgere, quinimo omnes a nobis cogantur dependere.

2. Cum autem experientia doceat, principes et magnates tum præsertim affici personis ecclesiasticis, quando odiosa eorum facta dissimulant, et ad meliorem partem potius interpretantur, ut videre est in matrimoniis contrahendis cum affinibus, aut consanguineis, et similibus: animandi sunt, qui hæc et similia affectant, spe facta per nostros illius modi dispensationis facile a summo pontifice impetrandae; quod faciet,

ſi explicentur rationes, proferantur exempla, et recitentur ſententiæ favorabiles titulo communis boni et majòris gloriæ Dei, quæ eſt ſcopus ſocietatis.

3. Idem faciendum, ſi princeps aggreditur aliquid faciendum non æque magnatibus omnibus gratum, promittendus nempe animus ejus et inſtigandus: cæterorum vero animi commovendi ad hoc, ut principi ſeſe accommodent, neque contradicant; in genere tamen tantum et nunquam ad particularia deſcendendo, ne ſocietati imputetur, ſi malum negotium ſucceſſerit. Et ſic hoc aliquando factum reprobetur, citentur monità noſtra contraria, hæc plane prohibentia, et adhibeatur authoritas aliquorum patrum, quibus conſtat, quod hæc ipſa monita illos lateant: quin etiam juramento aſſerere poterunt, ſocietatem, quæ ad hæc, quæ illi improperantur, calumniam pati.

4. Juvabit etiam non parum ad occupandum principum animos, ſi noſtri dextere et per tertias perſonas ſe inſinuent ad legationes honorificas et favorabiles ad

alios principes et reges pro illis obeundas, præſertim ad pontificem et ſupremos monarchas. Hac enim occaſione ſeſe et ſocietatem recommendare poterunt, qua propter non, niſi zeloſi et valde verſati in inſtituto noſtro, eo erunt deſtinandi.

5. Alumni principum et domeſtici potiſſimum, quibus familiariter utuntur, per munuſcula et varia pietatis officia devinciendi ſunt, ut tandem noſtros fideliter de humoribus et inclinationibus principum et magnatum inſtruant, et ſic facile illis ſocietas accommodabit.

6. Experientia etiam docuit in domo Auſtriaca aliisque regnis et ducatibus, quantum ſocietas ſeſe juverit tractandis matrimoniis inter principes: quare prudenter proponantur exquiſiti conjuges, qui cum parentibus vel amicis noſtrorum ſint amici et familiares.

7. Fœminæ principes potiſſimum per domeſticas, quæ a cubiculis ſunt, facile vincantur: quare illæ omnibus modis foveantur. Sic enim ad omnia etiam ſecretiſſima in familia aditus patebit.

8. In

8. In conſcientiis magnatum regendis ſequantur noſtri ſententiam illorum authorum, qui liberiorem conſcientiam faciunt, contra opinionem aliorum Religioſorum, ut, rejectis illis, a noſtra directione et conſiliis toti velint dependere.

9. Tam principes, quam Prælati, aliique omnes, qui ſocietati favorem extraordinarium præſtare poſſent, participes faciendi ſunt omnium meritorum ſocietatis, expoſito illis monumento ſummi hujus privilegii.

10. Inſinuandæ etiam caute et prudenter facultates ampliſſimæ ſocietatis, abſolvendi a caſibus reſervatis, reſpectu aliorum paſtorum aut Religioſorum, item diſpenſandi a jejuniis, debito reddendo et petendo, matrimonii impedimentis aliisque modis. Quo fiet, ut plurimi ad nos recurrant et obſtringantur.

11. Invitandi ad conciones, ſodalitates, orationes, actiones, declamationes, in quibus carminibus et theſibus honorandi, tum, ſi expedit, in triclinio menſa excipiendi, variis linguis aut dictis ſalutandi.

12. Inimicitiæ et diſſentiones inter magnos ad jus diſtrahendæ imponantur. Sic enim in notitiam familiarium et ſecretorum paulatim poterimus devenire, et alterutram ſaltem partem nobis advincere.

13. Quod ſi autem principi vel monarchæ ſerviat aliquis ſocietati parum addictus, invigilandum, ut ſive per noſtros, ſive potius per alios ille in amicitiam et familiaritatem ſocietati inducatur, promiſſis favoribus ac promotionibus per principem aut monarcham ſuum procurandis.

14. Caveant, omnes, quacunque ratione dimiſſos a ſocietate, et præſertim illos, qui ſponte ab ea deflectere voluerunt, apud quemquam recommendare, nedum promovere; quia, quantumcunque illi diſſimulent, ſemper tamen odium irreconciliabile adverſus ſocietatem gerunt.

15. Denique ita omnes ſolliciti ſint, principes, magnates, et magiſtratus cujuscunque loci ſocietati conciliare, ut etiam contra conſanguineos, affines, et amicos pro illis oblata occaſione ſtrenue et fideliter agant.

CAPUT III.

Quomodo agendum ſocietati in illis, qui magnæ ſunt authoritatis in rep. et, quamvis divites non ſint, aliis tamen modis juvare poſſunt.

1.

Præter ſupra dicta, quæ fere omnia illis proportionaliter etiam applicari poſſunt, curanda eſt gratia illorum contra adverſarios noſtros.

2. Utendum etiam prudentia, authoritate, et conſilio eorum ad cœmptionem bonorum, et acquiſitionem variorum munerum, ſocietate obeundorum; adhibito etiam tacite et plane ſecreto nomine illorum in augmentatione bonorum temporalium, ſi ſatis putetur illis confidendum.

3. Adhibendi etiam et commovendi, ut mitigent et compeſcant homines viliores et plebem ſocietati noſtræ contrariam.

4. Ab

bus apud ſedem apoſtolicam negotium promoveatur.

10. Si contingat, Prælatos et magnates legationem obire, cavendum ſedulò ac præveniendum, ne aliis Religioſis, qui nobiscum certant, utantur, ne affectum in alios transferant et in provincias, aut civitates, in quibus nos moramur, inducant. Quod ſi hujusmodi Prælati legatione fungentes tranſiverint illas provincias, vel civitates, ubi ſocietas collegia habet, excipiantur magno honore et affectu, et pro modeſtia religioſe tractentur.

CAPUT IV.

Quæ commendata eſſe debeant concionatoribus et confeſſariis magnatum.

I.

Noſtri reges, principes, virosque illuſtres ita dirigant, ut ſolum ad majorem Dei gloriam tendere videantur et ad

talem

talem austeritatem conscientiæ, qualem ipsi principes concedunt. Neque enim statim, sed sensim spectari debet directio illorum ad æternam et politicam gubernationem.

2. Ideo sæpe inculcandum ipsis, distributionem honorum et dignitatum in repub. spectare ad justitiam; graviterque deum offendi a principibus, si contra eam spectent, et ex passione præcedant. Protestentur sæpe ac seriose, nullo modo vero sese in reipub. administrationem ingerere, sed invitos dicere ratione officii sui. Ubi hæc semel apprehenderunt, explicetur, quibus virtutibus præditi esse debeant, qui ad dignitates et munia publica ac primaria assumendi sint, nominenturque tandem et commendentur tales, qui sunt sinceri amici societatis: hæc tamen non fient immediate per nostros, nisi princeps adhoc cœgerit; tum plus gratiæ habebit, sin familiares et amici principis interponantur.

3. Quo circa confessarii et concionatores informentur ab amicis nostris, qui

pro quovis munere ſint apti, præſertim tales, qui erga ſocietatem liberales ſunt: horum nomina apud ſe habeant, et ſuo tempore cum dexteritate, ſive per ſe, ſive per alios principibus commendent atque inſinuent.

4. Meminerint concionatores et confeſſarii, principes ſuaviter et blande tractare, nullo modo in concionibus, aut privatis colloquiis eos perſtringere, omnes pavores ab illis removere, et in fide, ſpe, ac juſtitia politica potiſſimum exhortari.

5. Munuſcula parva vix unquam pro privato uſu acceptent, ſed commendent neceſſitatem communem provinciæ, aut collegii. Domi cubiculo, ſimpliciter inſtructo, gaudeant, neque curioſe nimis ſe veſtiant: et ad abjectiores perſonas, quæ in palatio ſunt, juvandas et conſolandas promte ſe conferant, ne ſolis magnatibus præſto eſſe videantur.

6. Quam primum poſt mortem Officialium curent, ut de ſuſtinendis amicis ſocietatis mature agant, et ſuspicione ſe exi-

eximant extorti regiminis. Quare etiam, vt ſupra dictum, immediate ſe non impendent, ſed amicos fideles et potentes; quo ſuſtinere poſſunt invidiam, ſi quæ ſuboriatur.

CAPUT V.

Quomodo faciendum cum Religioſis, qui iisdem in eccleſia, quibus nos, functionibus vacant.

I.

Genus iſtud hominum ferendum animoſe, interim principibus et illis, qui aliqua authoritate valent, et in aliquo modo nobis addicti ſunt, explicandum et inculcandum opportune, noſtram ſocietatem omnium Ordinum continere perfectionem, et, ſi quæ religiones in aliquo excellant, eminentiori modo lucere in eccleſia dei.

2. Inquirantur et notentur defectus aliorum Religiosorum, quibus prudenter et plerumque per modum deplorationis apud fideles amicos paulatim detectis ac propalatis ostendatur, minus feliciter illos satisfacere functionibus, in quibus nobiscum concurrunt.

3. Majori conatu eundem est contra eos, qui scholas pro juventute docenda instituere volunt in istis locis, ubi nostri cum honore et utilitate docent. Ostendatur principibus seu magistratibus, tales fore perturbationi et seditioni Reip., nisi impediantur, quæ ab ipsismet pueris, qui diversimode instruuntur, incipiant: denique societatem sufficere juventuti erudiendæ. Quod si Religiosi litteras pontificias obtinuerint, aut Cardinalium commendationes pro se habeant, agant nostri contra per principes et magnates, qui pontificem informent de bene meritis societatis et sufficientia, ut per illam pacifice juventus instruatur; procurent etiam et exhibe-

hibeant teſtimonia a magiſtratibus danda de bona illorum converſatione et inſtitutione.

4. Interim pro viribus noſtri ſtudeant, edere ſpecimen ſingulare virtutis et doctrinæ, exercendo ſtudioſos in ſtudiis aliisque plauſibilibus ludis ſcholaſticis, principibus, magnatibus, magiſtratibus atque etiam populo ſpectantibus.

****

CAPUT VI.

De conciliandis ſocietati noſtræ viduis opulentis.

1.

Deligantur ad hoc opus patres provectæ ætatis, complexionis vivacis et converſationis gratæ; ab illis viſitentur viduæ illæ. Et ſimul atque affectum aliquem erga ſocietatem oſtenderint, viciſſim opera et merita ſocietatis illis offerantur; quod ſi

 affe-

affectent, et acceptent, et ecclesias nostras frequentare cœperint, prospicietur eis de confessario, a quo bene dirigantur, præsertim in ordine ad constantiam in statu viduali, numerando et laudando illius fructus et felicitatem; certoque spondeant, et tanquam obsides promittant, æternum meritum, hac ratione conquirendum, et efficacissimum esse remedium ad purgatorii pœnas evitandas.

2. Procuret idem confessarius, ut sacello vel oratorio alicui domi vel ordinando occupentur, in quo meditationibus aliisque exercitiis spiritualibus vacare possint ut sic facilius a conversatione et procorum visitationibus avocentur. Et quamvis sacellanum habeant, nostri tamen a celebratione missarum et potissimum ab exhortationibus opportune faciendis non abstineant, et sacellanum sub se continere studeant

3. Caute et sensim mutanda, quæ ad gubernationem domus spectant: scilicet habit:

bita ratione personæ, loci, affectus et devotionis.

4. Amoliendi potissimum tales domestici, sed paulatim, qui plane cum societate non communicant, aut correspondent; talesque commendandi, si qui substituendi sint, qui a nostris dependeant, aut dependere velint; sic enim omninm, quæ in familia transiguntur, poterimus esse participes.

5. Totus conatus confessarii hoc spectet, ut vidua ejus consilio in omnibus utatur et acquiescat, quod ostendetur per occasionem, esse unicum fundamentum profectus spiritualis.

6. Consulatur, ut sit frequens usus sacramentorum, præsertim pœnitentiæ, in quo intima animi sensa et tentationes quascunque liberrime aperiat, confitentur. Consulatur deinde frequens communio et auditus sacri ipsiusmet confessarii, ad quod invitabitur promissis peculiaribus precibus.

Consulatur item recitatio litaniarum et quotidianum examen conscientiæ.

7. Juvabit etiam non parum ad plenissimam agnitionem omnium inclinationum ejus confessio generalis, et, si alteri facta fuerit iterata.

8. Exhortationes fiant de bonis viduitatis et molestiis matrimonii, potissimum iterati, de periculis, quæ simul incurruntur, et maxime ad hominem sunt.

9. Proponendi subinde et procurandi dextere proci aliqui, et tales, a quibus bene scitur, viduam abhorrere. Describantur aliorum vitia et mores mali, si qui putentur illi arridere, ut sic universim secundas nuptias nauseet.

10. Quando vero erga statum viduitatis bene affectum esse constat, tunc commendanda vita spiritualis, non religiosa, cujus incommoda potius proponenda et exaggeranda, sed qualis fuit paucæ &c. prospiciatque confessarius, ut quantocius voto castitatis, saltem ad biennium, vel

trien-

triennium emisso, omnem auditum ad secundas nuptias excludat. Quo tempore omnis conversatio cum sexu impari, et recreationes cum consanguineis et affinibus prohibendæ, titulo majoris conjunctionis cum Deo. Ecclesiastici autem, a quibus vidua visitabatur, aut quos visitabit, sin omnes excludi non possint, aut tales sint, qui ex nostrorum commendatione admittantur, vel a nostrorum nutu dependeant.

11. Hucusque ubi progressum fuerit, paulatim ad bona opera, præsertim eleemosynas inducenda erit vidua, quas tamen nulla ratione præstabit sine sui patris spiritualis directione; cum plurimum intersit, ut cum discretione talentum in lucrum spirituale detur, et eleemosynæ, male collocatæ, sint sæpe causa et fomentum peccatorum, et sic simplicem tantum fructum et meritum causent.

CAPVT VII.

Quomodo conſervandæ viduæ et de bonis earum diſponendum.

1.

Videantur continuo et pergant in devotione et omnibus bonis ſi, cut nulla hebdomada tranſeat, quin ſua ſponte aliquid in honorem Chriſti, b. virginis, aut patroni ſui proſcindant a ſe de ſuperfluis, quod in pauperes erogent, vel ornatui templorum deſtinent, donec ſpoliis plerisque et plenariis egipti exuviis.

2. Quod ſi præter communem affectum ſuam ergo ſocietatem noſtram liberalitatem teſtentur, idque facere continuent: fiant noſtrorum meritorum ſocietatis participes, cum indulto ſpeciali Provincialis, aut etiam, ſi tantæ perſonæ fuerit, præpoſiti Generalis.

3. Sin

3. Sin emiserit votum castitatis, renovet illud more nostro bis in anno, concessa illi pro illa die recreatione honesta cum nostris.

4. Visitentur crebro, et jucundis colloquiis, historiis, spiritualibus facetiis recreentur et foveantur, juxta unius cujusque humorem et inclinationem.

5. Non tractentur nimis rigide in confessione, ne morosæ nimis fiant: nisi forte amissa spe, gratiam illarum aliunde occupatam recuperandi, in quo magna discretione, dein constanti mulierum ingenia judicandum.

6. Arceantur ingeniose a visitationibus et festivitatibus aliorum templorum et Religiosorum, et inculcetur illis, omnes aliorum Ordinum indulgentias in societate esse refusas.

7. Si lugendum illis sit, permittatur ornatus lugubris cum honesta majestate aliquid spirituale simul, et mundanum, sperans, ut non apprehendat, se a viro spi-

ritu-

rituali plane gubernari; denique modo non sit periculum inconstantiæ, et erga societatem fideles et liberales inveniantur, concedatur illis, quidquid ad sensualitatem requirunt, moderate et excluso scandalo.

8. Collocentur apud viduas puellæ honestæ ex parentibus domibus nobilibus natæ, quæ nostrorum directioni et modo vivendi paulatim assuescant. His præsit aliqua, a confessario totius familiæ ad hoc electa et substituta: subiiciantur syndicationi aliisque consuetudinibus societatis; et, quæ sese accommodare nolunt, dimittantur ad parentes, vel alios, a quibus adductæ erant, et describantur tanquam discolæ difficilis ingenii.

9. Nec minor cura sanitatis et recreationis illarum, quam salutis, habenda erit. Quare si de valetudine conquerantur, statim jejunia, cilicia, disciplinæ, aliæque pœnitentiæ corporales prohibeantur, nec permittantur colloquia et recreationes iis, quæ maxime arriserint.

10. Pro

10. Pro diſpoſitione redituum, quos habet vidua, in favorem ſocietatis facienda, proponatur perfectio ſtatus hominum ſanctorum, qui, relicto mundo, parentibus et bonis omnibus abdicatis, cum magna reſignatione et hilaritate animi ſervierunt deo: exponantur in ordine ad hoc, quæ habentur in conſtitutione et examine ſocietatis, de iſtius exemplo viduarum, quæ ſic in ſanctas breui evaſerint, cum ſpe canonizationis, ſi ſic in finem usque perſeveraverint: oſtendaturque, ipſis non defuturam ad hoc noſtrorum apud Papam authoritatem.

11. Imprimendum hoc illis firmiter, ſi conſcientiæ perfectæ quiete frui velint, omnino ſine murmuratione, tædio, aut ulla renitentia interiori ſequendum eſſe, tam in temporalibus, quam ſpiritualibus confeſſarii directionem, tanquam a deo peculiariter ad hoc deſtinati. —

12. Inſtruendæ etiam per occaſionem, gratius eſſe Deo, ſi perſonis eccleſiaſticis, maxi-

maxime Religiosis spectatæ et exemplaris vitæ, eleemosynas suas dent, non, nisi conscio tantum et approbante confessario.

13. Cavebunt diligentissime confessarii, quocunque prætextu, hujusmodi viduæ alios Religiosos invitent et familiaritatem cum eis ineant. Quod ut impediant, conabuntur suo tempore deprædicare, societatem tanquam Ordinem superlativum præ cæteris, et utilissimum in ecclesia majoris authoritatis apud pontifices et principes omnes perfectissimum in se, quia dimittit noxios et inidoneos, adeoque sine spuma et fecibus vivit, quibus scatent cæteri monachi, plerumque bardi, segnes, salutis suæ incuriosi et venticulosi.

14. Proponant confessarii et suadeant illis ordinarias pensiones, sive tributa, quibus subleventur annuatim collegia et domorum professarum debita, præcipue domus professæ Romanæ: neque immemores sint ornamentorum templorum, ce-

ræ,

æ, vini ad celebrationem missæ necessariorum.

15. Quod si in vita sua vidua ex pleno bona sua societati non inscripserit, proponatur illi per occasionem et præsertim occurrenti gravi morbo, aut periculo vitæ novitas et multitudo plurimorum collegiorum, nondum fundatorum, inducanturque suaviter et fortiter ad sumptus faciendos, quibus æternam gloriam dei fundaturæ quodam modo sunt.

16. Quod idem faciendum cum principibus, bene factoribusque, et aliis, persuadendum inquam ea, quæ perpetua sunt in hoc mundo et in altero æternam illis gloriam a Deo paritura. Quod si hinc et inde malevoli allegent exemplum Christi, qui non habebat, ubi caput suum reclinaret, velintque socios jesu esse similiter pauperrimos: ostendatur et serio imprimatur omnibus, ecclesiam Dei nunc esse mutatam et monarchiam factam, quæ potentia et authoritate tueri se debet contra

potis-

potentissimos inimicos, et esse lapidem illum parvum excisum, qui crevit in montem maximum, juxta prædictum prophetæ.

17. His, quæ addictæ sunt eleemosynis et ornatui templorum, ostendatur crebro, summam perfectionem in eo consistere, quod, terrenarum rerum amore sese exuentes, ipsum Christum ejusque socios earum possessores faciant.

18. Sed quia minus semper sperandum a viduis, quæ et liberos suos ad sæculum dirigunt, videbimus

CAPUT VIII.

Quomodo faciendum, ut filii et filiæ Religiosum, aut devotarum statum amplectantur.

I.

Sicut matribus fortiter, sic nostris suaviter in hac materia est operandum. Matres nimirum instituendæ, ut proli suæ repre-

reprehenſionibus, caſtigationibus moleſtæ ſint a teneris, dum provectiores præſertim filiæ fuerint, muliebrem ornatum et clenodias illis negent, optando ſæpe deumque rogando, ut ſtatum religioſum aſpirent, et polliciendo inſignem dotem, ſi moniales eſſe voluerint: exponant ſæpe difficultates, quæ in matrimonio omnibus ſunt communes, et ſi quas ipſæmet in particulari expertæ ſunt, dolendo vel maxime, quod cœlibatum matrimonio non prætulerit. Denique ſic agant continuo, ut filiæ præſertim, tædio vitæ, apud matrem tali modo tranſigentes de ſtatu religioſo cogitent.

2. Cum filiis converſentur noſtri familiariter, ſi quidem ad ſocietatem noſtram apti viſi fuerint: introducantur opportune in collegium et oſtendatur expliceturque eis, quæ quoquo modo grata futura, et ad ſocietatem amplectendam invitatura creduntur; ut ſunt horti, vineæ, domus rurales, vel prædia, ubi noſtri ſe

recreant; narretur illis itineratio ad diverſa regna, communicatio cum principibus mundi, et quæcunque juvenilem ætatem oblectant; refectorio et cubiculis exterior mundities, blanda converſatio inter noſtros, Regulæ noſtræ facilitas, cui tamen compromiſſa eſt gloria Dei, Ordinis denique noſtri ſuper omnes præeminentia et colloquia ſimul ſancta cum iis commiſceantur.

3. Moveantur quaſi ex revelatione interdum ad religionem in genere, et deinde caute inſinuetur perfectio et commoditas noſtræ præ cæteris, exponaturque tum in publicis exhortationibus, tum in privatis colloquiis, quam ſit grave contra invocationem divinam calcitrare, tandemque inducantur ad facienda exercitia ſpiritualia, et de ſtatu vitæ deligendo concludant.

4. Procurent noſtri, ut hujusmodi adoleſcentes inſtructores habeant, ſocietati addictos, qui continuo invigilent et

hor-

hortentur, si vitam religiosam reluctentur, subtrahantur illis. Hinc fieri possit, ut sua sponte animum ad societatem adiiciant, mittantur titulo studiorum ad remota societatis Gymnasia: ex parte matris pauca submittantur solatia, ex parte societatis vero adhibeantur lenocinia, ut affectum in nostros transferant.

CAPVT IX.

De reditibus collegiorum acceptandis.

I.

Nemo, quantum fieri poterit, ad ultimam professionem admittatur, quamdiu successiones aliquas exspectat, nisi fratrem se juniorem habeat in societate, vel ob alias graves causas. In omnibus tamen et ante omnia consulendum est ampli tioni societatis secundum fines, superioribus notos; qui in hoc saltem conspirent, ut

ut ecclesia ad majorem dei gloriam pristino nitori restituatur, et totius Cleri non nisi unus sit spiritus. Quo circa frequenter monendum est et passim promulgandum, societatem partim constare ex professis adeo mendicis, ut præter largitiones quotidianas fidelium careant omnibus omnino; partim etiam aliis patribus; qui equidem possident bona stabilia, ne sint in gravamen populi pro studiis ac functionibus suis, ut sunt cæteri mendicantes Ordines. Ideo serio inculcent confessarii principum, magnatum, viduarum et aliorum, a quibus societas multum sperare potest, ea, quæ hanc materiam concernant, ut, cum spiritualia illis conferant et æterna, ad minimum terrena, et temporalia ab iis recipient; nec vix unquam ...nt occasionem, aliquid recipiendi. ... offertur, prudenter in memoriam re...ur, quantum tamen fieri potest, ...n affectum erga divitias dissimulan... Quod si quis ex confessariis, sive

magna-

magnatum, five aliorum ad hoc in praxi redigendum minus induſtrius videatur; cum tempore et caute amoveatur, alio in locum ejus ſubſtituto, et, ſi neceſſarium ſit, ad majorem pœnitentium, ſatisfactionem, ad remotiora collegia relegetur. Nuper enim audivimus, juvenes viduas immatura morte præventas negligentia noſtrorum ſuppellectilem valde prætioſam, templis ſocietatis dicatam, non legaſſe, eo, quod tempeſtive acceptata non eſſet; neque enim ad ſimilia acceptanda tempus ſed pœnitentium bona voluntas ſpectanda eſt.

2. Prælati, canonici, paſtores, aliique opulenti Eccleſiaſtici induſtriis variis ad exercitia ſpiritualia ſunt alliciendi, et ſic paulatim, mediante affectu erga res ſpirituales, ſocietati conciliandi, deinde eorum liberalitas paulatim provocanda.

3. Non negligant confeſſarii, interrogare pœnitentes ſuas, opportune tamen, de familia, nomine, parentibus, affinibus, amicis, bonis; deinde ſpectare ſucceſſores

 illo-

illorum, ftatum, intentionem et refolutionem. Quam fi nondum fumpferint, focietati favorabilem opportet perfuadere. Quod fi fpes alicujus utilitatis affulgeat, quia non expedit de omnibus fimul interrogare, jubeantur, five titulo majoris elucidationis confcientiæ, five pœnitentiæ medicinalis quaque hebdomade confiteri, et honefte ab eodem confeffario inviteutur, ut, quod una vice inquirere non potuit, pluribus inquirat. Quod fi fucceffe rit ex voto, fi fœmina fuerit, ad perfiftendum in frequenti confeffione et vifitatione, fin vir, ad fodalitatem frequentandam, et ad familiaritatem noftrorum inducatur.

4. Quæ de viduis dicta funt, eadem agenda circa mercatores, cives opulentos et conjugatos, prole carentes, a quibus non raro ex affe hæreditas acquiritur, fi prudenter hæc praxis executioni mandetur. Potiffimum autem hæc obfervanda erunt circa opulentas devotas noftros frequentantes, quæ non fint parentibus valde

e nobilibus natæ, tantum ad summum po-
erit vulgus obmurmuratione.

5. Rectores collegiorum conabuntur
abere notitiam domorum, hortorum, præ-
orum, vinearum, pagorum cæterorum-
ue bonorum, quæ a primariis nobilibus,
ercatoribus, aut civibus loci, in quo
abitant, possidentur, et, si fieri potest,
avaminum et redituum, quibus oneran-
r: sed caute id præstandum et efficacissi-
e per confessionem, sodalitatem ac pri-
ata colloquia. Quod si quis confessarius
enitentem divitem ac opulentem accepe-
:, continuo rectorem moneat, ut hunc
nni meliori modo fovere conetur.

6. Porro summa rei in eo constituen-
est, ut nostri omnes benevolentiam pœ-
tentium et aliorum, quibus cum con-
ersantur, apperite noverint captare, et
ngulorum inclinationi se accommodare.
ua propter ad loca, quæ a divitibus, et
obilibus inhabitantur, Provinciales pro-
deant ut multi mittantur: et, ut Pro-

vinciales id facilius et prudentius faciant, rectores illos accurate instruere suo tempore meminerint.

7. Inquirant etiam, an contractus et possessiones per receptionem filiorum in societatem ad illam transire possint, ut post tempus societati cedant. Ad quem finem societatis necessitas et gravamen debitorum omnibus, præsertim magnatibus et divitibus, insinuanda erunt.

8. Si contigerit, viduas, aut conjugatos divites, nobis addictos, habere filias, eas nostri blande dirigant ad statum devotarum, vel ad religionem monialium, dote aliqua illis relicta, cætera societati paulatim acquirentur. Quod si filios habeant, qui societati apti erunt, ad illam allicientur, alii ad religiones alios etiam certo numero compromisso inducendi erunt. Sed si filius unicus sit, quibus libet modis ad societatem trahendus erit. Cisque metus parentum ex animo removendus et invocatio Christi inculcanda erit, ostendendo

ſto etiam, ſacrificium Deo gratiſſimum fore; ſi parentibus inſciis et invitis aufugerit, deinde mittantur ad novitiatum remotum, præ monito prius præpoſito Generali. Quod ſi filios et filias habeant, prius filiæ in monaſterium et ſtatum devotarum dirigantur; deinde filii in ſocietatem cum ſucceſſione bonorum pertrahantur.

9. Superiores hujusmodi viduarum et conjugatorum confeſſarios ſuaviter ac fortiter moneant, ut utiliter pro ſocietate hæc monita impendant: quod ſi non fecerint, alii eorum loco ſubſtituantur, et ipſi removeantur ſic, ut notitiam cum illa familia facere non poſſint.

10. Viduæ et aliæ perſonæ devotæ, quæ videntur magno affectu ad devotionem tendere, inducantur ad hoc tanquam efficaciſſimum medium perveniendi ad apicem perfectionis; ſin omnes ſuas poſſeſſiones ſocietati cedant et vivant annona ſocietatis: dos vero ſecundum exigentiam

continuo administrabitur, ut sine ulla cura ac sollicitudine Deo liberius serviant.

11. Ad persuadendum efficacius paupertatem societatis superiores a ditioribus personis, societati addictis, mutuent pecunias sub chirographo, quarum solutio differatur. Deinde tempore morbi, præsertim periculosi, persona constanter visitetur, et omni ratione torqueatur ad reddendum chirographum; sic enim nostri non agnoscentur testamento, et interim nihilominus curabitur absque invidia succedentium in bona morientis.

12. Conveniet etiam, ab aliquibus personis pecuniam sub annuo reditu sumere et eundem nummum alibi pro altiori pensione constituere, ut reditus reditum compenset. Interim tamen fieri potest, ut amici, qui pecunias sic mutuo dederunt, misericordia nostri moti, lucrum, aut subinde ipsum capitale, sive testamento, sive donatione inter vivos socie-

tati

tati cedant, dum collegia ſtruuntur, aut templa ædificantur.

13. Utiliter etiam ſocietas ſub nomine mercatorum divitum, nobis addictorum, poterit negotiari: ſed reſpiciendum certum ac copioſum lucrum etiam in Indiis, quæ ſocietati non tantum animas, ſed etiam opes multas hactenus, Deo favente, ſubminiſtraverunt.

14. Procurent noſtri in locis, ubi reſident, habere medicum ſocietati fidelem, quem apud ægros præ cæteris commendent et extollant, ut viciſſim ipſe noſtros præ cæteris Religioſis commendans efficiat, ut paſſim ad primarios ægrotos ac præſertim moribundos vocentur.

15. Confeſſarii ſint aſſidui inviſitandis ægris, potiſſimum, qui periclitantur. Ut alios Religioſos ac Eccleſiaſticos inde honeſte eliminent, procurent ſuperiores, ut tempore illo, quo confeſſarius diſcedere cogitur ab ægroto, continuo alii ſuccedant. Interim prudenter incutiendus erit horror

horror inferni et ad minimum purgatorii: demonſtrandumque, quod, ſicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguat peccatum; nusquam autem eleemoſynas melius impendi poſſe, quam in hujusmodi perſonarum alimentum ac ſubſidium, quæ ex vocatione ſua profitentur charitatem erga ſalutem proximi; ſic enim illius participes efficiendos et ſatis facturos ægrotos pro peccatis propriis, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Deſcribi etiam poteſt charitas tanquam veſtis illa nuptialis, ſine qua nemo admittitur ad cœleſtem menſam: denique ea ex ſcriptura et ſanctis patribus allegandæ erunt, quæ reſpectu habito ad capacitatem ægroti efficacia judicabuntur ad illum promovendum.

16. Mulieres, conquerentes de vitiis aut moleſtiis virorum, doceantur, ſubtrahere ſecreto ſummam aliquam peculii, illamque Deo offerre pro expiandis peccatis maritorum, et impetranda illis gratia.

CAPUT

CAPUT X.

De disciplinæ hujus privato vigore in societate.

I.

Dimittendus erit quilibet, et cujuscunque conditionis, aut ætatis, alio colore quæsito, tanquam hostis societatis, qui devotas aliosque amicos abalienaverit a templo nostro, vel frequentatione nostrorum, aut eleemosynas ad alia templa, vel religiosos diverterit; vel qui opulento, aut bene societati congruo illam dissuaserit, dum etiam, qui circa tempus, quo de bonis propriis disponendum erit, affectum erga consanguineos potius, quam erga societatem ostenderit. Hoc enim magnum immortificati animi signum est, et convenit professos sane, esse mortificatos, item, qui eleemosynas ab amicis, aut pœnitentibus societati oblatas ad consanguineos suos pauperes diverterint. Ut autem

tem de caufis dimiffionis fuis non conquerantur, non dimittantur ftatim, fed prohibeantur primo ab audiendis confeffionibus; mortificentur et viliffimis exercitiis, aut officiis divexentur; cogantur ad ea in dies præftanda, a quibus averfionem maximam habere dignofcuntur; removeantur ab ulterioribus ftudiis ac honoratioribus muniis; urgeantur repræhenfionibus et capitulis publicis; arceantur a recreationibus et converfatione externorum, fubtrahantur in veftibus et aliis utenfilibus ea, quæ omnino neceffaria non funt: donec ad murmurationem et ad impatientiam inducantur, tumque, tanquam nimis immortificati et aliis malo exemplo perniciofi, dimittantur. Et fi ratio dimiffionis parentibus, aut Prælatis ecclefiæ danda fit, dicantur non habuiffe fpiritum focietatis.

2. Dimittendi infuper erunt, qui fcrupulum fecerint in acquirendis focietati bonis, dicanturque nimium effe proprio addicti judicio. Quod fi apud Provinciales

rati-

rationem facti sui reddere voluerint, non audiantur, sed urgeantur ad Regulam, quæ omnes obligat ad eam obedientiam præstandam.

3. Respiciendum erit ab initio et a teneris, quinam maxime in affectu erga societatem proficiant. Qui autem affectum erga alios Ordines, aut parentes, aut pauperes tenere deprehenduntur, cum sint futuri inutiles, modo supradicto paulatim ad dimissionem disponantur.

****

CAPVT XI.

Qualiter se nostri unanimiter præstabunt contra dimissos a societate.

1.

Quoniam dimissi a Societate saltem aliquorum secretorum conscii sunt, plerumque obsunt, ac proinde eorum conatibus obviandum erit his modis —

2. An-

2. Antequam e ſocietate dimittantur, inducantur, ut promittant ſcripto et jurent, ſe nihil de ſocietate unquam quid ſiniſtri dicturos, vel ſcripturos. Interim ſuperiores ſervent ſcripto malas inclinationes, defectus ac vitia illorum, quæ ipſis aliquando in manifeſtatione conſcientiæ ſuæ pro more ſocietatis dederint: quibus, ſi neceſſe fuerit, ſocietas deinde apud magiſtratus et Prælatos ad illorum promotionem impediendam juvare ſe poterit.

3. Scribatur quam primum per collegia, quinam dimiſſi ſunt, exaggerentur cauſæ dimiſſionis, generalis, immortificatio animi, inobedientia, parvus affectus erga exercitia ſpiritualia, proprium judicium, et deinde moneantur omnes alii, ne cum illis ulla ratione correſpondeant. Et ſi ab externis de dimiſſis mentio fiat, loquantur omnes uniformiter, et paſſim dicant, ſocietatem neminem dimittere ſine gravibus cauſis atque exire inter maris cadavera. Inſinuentur etiam caute hujusmodi cauſæ,

propter

propter quas odio habemur, ut plausibiliter fiat dimissio.

4. In domesticis exhortationibus persuadeatur, dimissos esse plane inquietos, et continuo societatem repetere, exaggerenturque infortunia eorum, qui post discessum a societate male perierunt.

5. Obviandum erit accusationibus, quas dimissi a societate facere possunt, per authoritatem virorum gravium; qui passim declarent, societatem neminem sine gravi causa dimittere, neque præscindere sana membra; quod confirmari potest per zelum, quem generatim societas ostendit et exhibet erga animos externorum, quanto magis ad domesticos suos —

6. Deinde hujusmodi magnates, aut Prælati, apud quos dimissi authoritatem, aut fidem sibi conciliare cœperunt, omni genere beneficiorum a societate præveniendi et obstringendi sunt: explicandum illis, quomodo bonum commune unius religionis tam celebris, quam utilis, ec-

clesia præponderare debeat bono privato qualiscunque personæ. Quod si affectus erga dimissum perseveret, causas dimissionis juvabit exponere et ad gravare etiam, quæ non adeo certæ sunt, modo per probabilem consequentiam deducantur.

7. Omni modo cavendum erit, ne præsertim ii, qui sua sponte societatem deseruerunt, promoveantur ad aliqua officia, aut dignitates ecclesiæ, nisi se suaque officia omnia submiserint societati et abdixerint, ita, ut omnibus constare possit, quod à societate omnino dependere velint.

8. Procuretur tempore, ut ab exercitio functionum celebrium in ecclesia, ut sunt conciones, confessiones, liberorum educationes &c. quantum fieri potest, sint remoti, ne affectum et plausum vulgi sibi concilient. Eo fine diligentissime vitam et mores eorum erit inquirendum nec non in sodalitias occupationes et intentiones. Dimissi que circa efficiendum erit, ut

cum

cum aliquo e familia illa, quam dimissi incolunt, nostri peculiarem correspondentiam habeant. Quam primum autem quidpiam minus laudabile, aut censura dignum deprehensum fuerit: per personas inferioris Ordinis nobis addictas in vulgus dispergatur, deinde magnates, vel Prælati, qui dimissis faverint, futuræ infamiæ indiciis teneantur. Quod si nihil committant repræhensione dignum; et laudabiliter se gerant: extenuentur argutis propositionibus ambiguisque verbis eorum virtutes et opera, quæ commendant; donec æstimatio et fides, quæ antea illis adhibebatur, imminuatur. Societatis plane interest, dimissos, et præsertim eos, qui eam sua sponte deseruerunt, supprimi —

9. Infortunia et eventus sinistri, qui illis accidunt, quam primum divulgandi sunt, implorati tamen precibus personarum piarum, ut non credantur nostri ex passione procedere, domi vero omnibus modis exaggerentur, ut alii contineantur.

CAPUT XII.

Quinam conſervari ac foveri in ſocietate debent.

I.

Primum locum tenere debent ſtrenui mercenarii, qui ſcilicet non minus temporale, quam ſpirituale ſocietatis bonum promovent, quales plerumque ſunt confeſſarii principum et magnatum, ac devotarum opulentarum concionatores et profeſſores et quicunque horum ſecretorum ſint conſcii —

2. Corruentes viribus et defecti ætate, ſecundum quod talenta ſua pro bono ſocietatis temporali impenderunt; adeo, ut habeatur decens ratio meſſis præteritæ, præterquam quod apta adhuc inſtrumenta ſint ad deferendum ſuperioribus defectus ordinarios, quos in reliquis domeſticis, cum perpetuo domi ſint, animad-

verte-

verterint, dimittendi, quantum fieri potest nunquam erunt, ne societas male audiat.

3. Præterea fovendi, quicunque ingenio, nobilitate, aut divitiis excellunt; potissimum si amicos et consangvineos societati addictos habeant et potentes, et revera ipsi, sin vero affectu erga societatem sint. Secundum explicationem supra dictam mittendi illi Romam, vel ad universitates celebriores, ut studeant. Si autem in provincia studuerint, peculiari affectu favores professorum suntpromovendi, quoad usque cessionem bonorum suorum fecerint a societate, nihil illis denegetur. Sed postquam illam fecerint, mortificentur ut cæteri, semper tamen respectu aliquo habito ad præterita.

5. Erit etiam ratio peculiaris eorum apud superiores, qui selectos aliquos juvenes ad societatem allexerint; quando quidem affectum suum erga societatem non parum testati sint. Sed quam diu illi non professi sunt, videndum, ne nimium illis

 indul-

indulgeatur, aut confidatur, ne forte fortunas, quas ad societatem adduxerint, easdem reducant.

CAPVT XIII.

De delectu juvenum in societatem admittendorum et modo eos retinendi.

1.

Summa prudentia contendendum est, ut deligantur juvenes ingenio bono, forma non contemnenda, genere nobiles et opulenti, aut ad minimum aliquo horum excellentes.

2. Ut facilius ad institutum nostrum protrahantur, peculiari affectu, quamdiu student, a præfectis scholarum et magistris sunt præveniendi; extra tempora scholæ ab iisdem sunt instruendi, quam gratum deo sit, si qui illi se suaque omnia præsertim in societate filii sui consecrent.

3. Du-

3. Ducantur data occasione per collegium et hortum, imo aliquando etiam ad villas, et cum nostris versentur tempore recreationum, ut paulatim familiares fiant, cavendo tamen, ne familiaritas pariat contemptum.

4. Non permittantur castigari et in ordinem redigi a præceptoribus cum aliis discipulis. —

5. Munusculis et privilegiis variis ætati illorum conformibus devinciendi sunt, et maxime colloquiis spiritualibus sunt animandi.

6. Inculcetur illis, hæc fieri dispositione divina, tanquam ad societatem electis, præter alios, idem gymnasium frequentantes. Aliis occasionibus, præsertim exhortationibus, terrendi sunt minis damnationis æternæ, nisi divinæ vocationi obtemperent.

7. Si societatem constanter ingredi petant, differatur illorum admissio, quamdiu constantes manent. Quod si mutabi-

les appareant, recipiantur quam primum et omnibus modis foveantur.

8. Admoneantur efficaciter, ne ullo familiari suo, et nequidem parentibus suis vocationem suam aperient prius, quam admissi sint. Quod si deinde illis aliqua tentatio resiliendi superveniat, in integro ipsi, tum etiam societas erit. Et si illa superata fuerit, semper erit occasio illos remuneratione ejusdem postea animandi, si tempore novitiatus, aut emissa vota simplicia obveniat.

9. Quia vero maxima difficultas est in alliciendis magnatum, nobilium, senatorum ac consiliariorum filiis, quam diu apud parentes sunt, qui illos ad succedendum in officiis educant: persuadendum illis per amicos potius, quam personas societatis, ut illos in aliis provinciis, aut remotis universitatibus collocent, in quibus nostri docent, præmissis instructionibus ad professores de qualitate et conditionibus illorum, ut affectum illorum societati facilius

cilius et certius concilient. Quando ad ætatem aliquo modo maturam pervenerint, inducendi ſunt ad facienda exercitia ſpiritualia, quæ in Germanis et Polonis eorum affectum ſæpe habuerint: perturbationibus et afflictionibus eorundem occurrendum erit pro qualitate et conditione uniuscujusque, adhibitis exhortationibus et demonſtrationibus privatis a malo ſucceſſu divitiarum, et bono vocationis non contemnendo, ſub indictione pœnæ infernalis. Apud parentes, ut facilius filiorum ſuorum deſiderio in ſocietatem ingrediendi condeſcendant, oſtendatur excellentia inſtituti ſocietatis præ aliis religionibus, ſanctitatis et doctrinæ patrum noſtrorum exiſtimatio integra apud omnes, honor et applauſus univerſitatis, qui ſocietati a ſummis et minimis defertur; et recenſendus numerus principum et magnatum, qui magno animi ſui ſolatio in hac ſocietate Jeſu vixerunt et mortui ſunt; et etiam, num vincant, oſtendatur, quam gratum

 Deo

Deo ſit, quod juvenes illi ſeſe mancipent; præſertim in ſocietate filii ſui, et quam bonum ſit viro, cum portaverit jugum domini ab adoleſcentia. Quod ſi de teneritudine et minus perfecta ætate diſceptetur, declaretur facilitas inſtituti noſtri, quod, præter trium votorum obſervationem, nihil aliud, quod valde ſpectandum, nullam regulam obligaret, nequidem ſub peccato veniali.

CAPUT XIV.

De caſibus reſervatis et cauſa dimittendi e ſocietate.

I.

Præter caſus expreſſos in conſtitutionibus, a quibus ſolus ſuperior, aut confeſſarius ordinarius cum ejus licentia abſolvere poterit, ſunt ſodomia, mollities, fornicatio, adulterium, ſtuprum, tactus impudicus maris, aut fœminæ. Præterea ſi quis

quis, quocunque zelo, causa, aut occasione, quomodo libet, quidquam grave moliatur contra societatem ejusque honorem et utilitatem, quæ etiam omnes sunt justæ causæ dimissionis.

2. Quod si quis hujusmodi aliquid confiteatur sacramentaliter, non prius absolvatur, quam promisit, se extra confessionem superiori hoc manifestaturum, per se, vel per confessarium. Tum superior concludet pro bono communi societatis, quod melius videbitur; et, si certa sit spes criminis occultandi, conformi pœnitentia plectendus erit; sin vero non, quam primum dimittendus. Caveat sibi interim confessarius, dicere pœnitenti, illum periclitari de dimissione.

3. Si quis ex nostris confessariis audierit ab aliqua persona externa, quod cum aliquo e societate rem turpem commiserit: non eam prius absolvat, quam extra confessionem aperuerit nomen illius, cum quo peccavit. Quod si dixerit, adhuc

huc non abſolvatur, niſi jure jurando ſe obſtrinxerit, nunquam ſe id ulli mortalium revelaturum ſine conſenſu ſocietatis.

4. Si duo ex noſtris carnaliter peccaverint, qui prior manifeſtaverit, in ſocietate retineatur, alter dimittatur. Sed deinde, qui detinetur, ita mortificetur, et undequaque affligatur, ut præ tædio vel impatientia occaſionem det dimiſſioni, quæ ſtatim arripiatur.

5. Poterit etiam ſocietas, cum ſit corpus nobile et præſtans in eccleſia Dei, a ſe proſcindere hujusmodi perſonas, quæ ad inſtituti noſtri exſecutionem minus idoneæ videbuntur, quamvis initio ſatis fuerint. Et facile invenietur occaſio, ſi nempe continuo vexentur, et omnia fiant contra illorum inclinationem, ſubiiciantur ſuperioribus tetricis, arceantur a ſtudiis ac functionibus, donec murmurent.

6. Retinendi etiam nullatenus ſunt, qui aut ſuperioribus palam inſurgant, aut clam, aut palam apud ſocios potiſſimum exter-

externos conqueruntur: item, qui apud domesticos, vel externos modum agendi societatis quoad acquisitionem, aut administrationem bonorum temporalium condemnant, vel alias rationes agendi v. c. conciliandi, ac supprimendi male affectos erga societatem, vel dimissos &c. quin etiam, qui Venetos, Francos, aut alios, a quibus societas pulsa et aliquando gravia damna passa est, in colloquiis ferunt, aut defendunt.

7. Ante dimissionem acerrime agitandi sunt ii, qui dimittentur, amovendi a consuetis officiis, et modo huic, modo illi applicandi; interim, quantum cunque bene præstiterint, continuo reprehendendi, eoquè titulo alteri applicandi; pro leviori causa, quam forte commiserint, graves pœnæ assignentur, confundantur publice usque ad impatientiam, tandemque, tanquam aliis perniciosi, dimittantur; hoc autem loco, de quo minimum opinantur, delegantur. Si de aliquo nostrorum spes

certa

certa sit de obtinendo episcopatu, aut alia dignitate ecclesiastica, præter consueta pietatis vota cogatur alterum emittere, quod semper bene de instituto societatis censurus, ac dicturus sit, neque alio confessario, quam de societate utatur; quin imo se in nullis rebus alicujus momenti quidquam dispositurum, nisi prius audito societatis voto. Quod quia Cardinalis Toletus non observavit, societas a sede impetravit, ut post hæc nullus Maranus, vel perfidiæ Iudaicæ et Mahemeticæ hæres admittatur. Qui tale votum præstare noluerit, tanquam acerrimus societatis hostis, quantumcunque celebris foret, dimittatur. —

CAPUT

CAPUT XV.

De contemptu divitiarum palam præferendo.

I.

Ne sæculares nobis adscribant nimium affectum erga divitias, juvabit non nunquam recusare eleemosynas minoris momenti, quæ pro officiis a societate præstitis afferuntur; quanquam ab iis, qui omnino nobis sunt addicti, etiam minimas quasque acceptare conveniat, ne avaritiæ arguamur, si tantum dona insigniora admittamus. Negandæ erunt sepulturæ personis vilibus in templis nostris, quamvis valde societati addicti fuerint, ne videamur per pluritatem mortuorum divitias venerari, et constet de beneficiis, quæ a mortuis percepimus. Cum viduis aliisque personis, quæ societati plerumque sua dederint, agendum erit valde resolute, et acrius, cæteris paribus, quam cum aliis:

ne

ne videamur propter considerationem bonorum temporalium illi favere plus, quam aliis. Imo idem observare convenit respectu illorum, qui in societate sunt, scilicet postquam bonorum suorum resignationem in favorem societatis fecerint; et, si necesse sit, a societate dimittantur, sed cum omni discretione, ut saltem partem rerum, quos societati dederant, relinquant, aut morientes testamento legent.

CAPUT XVI.

Quomodo agendum cum monialibus et devotis.

Caveant valde confessarii et concionatores offendere moniales, aut illis occasionem dare tentationis contra vocationem, sed e contra, affectu superiorum sibi conciliato, procurent, confessiones saltem extra ordinarias suscipere, conciones apud eas facere, sed si gratitudinem illarum vicissim

cissim experiantur. Multum enim juvare possunt societatem nobiles et divites præsertim abbatiæ, tum per se, tum per parentes et amicos suos, adeo ut, mediante notitia primariorum, paulatim in notitiam et amicitiam totius fere civitatis societas venire poterit.

Vitandum tamen ex altera parte devotis nostris, ne monasteria fœminarum frequentent; ne vivendi ratio illa ipsis magis arrideat, et sic societas exspectatione omnium bonorum, quæ possident, frustretur. Inducantur vero ad præstandum votum castitatis et obedientiæ in manibus confessarii sui: ostendaturque, illam vivendi rationem esse conformem primitivæ ecclesiæ moribus, utpote lucentem in domo et non sub modio sine proximi ædificatione ac fructu animarum, præterquam quod exemplo viduarum illarum evangelicarum Christo in sociis ejus de sua substantia bene faciant: denique omnia, quæ in præjudicium claustralis vi-

tæ sunt, exponant eisque applicent. Sed hujusmodi instructiones illis sub sigillo secreti communicent, ne forte ad aures Religiosorum perveniant.

CAPUT. XVII.

De mediis promovendi societatem.

1.

Imprimis in hoc incumbant omnes, ut etiam in rebus parvi momenti unum semper sentiant, et saltem exterius dicant. Sic, etiam quantumcunque res hujus mundi turbidæ fuerint, societas semper necessario augebitur et confirmabitur.

2. Sic omnes lucere nitantur doctrina et exemplis, ut reliqui Religiosi, præsertim qui de clero sunt, ut pastores et cæteri, subleventur, tandemque vulgus omnia a nostris tantum præstari optet; quin imo hoc palam dicatur, non requiri

in pastoribus tantam doctrinam; modo suo munere bene fungantur. Consilio enim societatem juvare posse, quæ idcirco studia summopere commendata habet.

3. Fovendi reges et principes hac doctrina, quod fides catholica in præsenti statu persistere nequeat, sine politicismo; sed ad hoc magna opus directione. Hac ratione nostri grati erunt magnatibus, et ad interiora consilia adhibebuntur.

4. Foveri poterunt novis lectissimis et certissimis undequaque transcriptis.

5. Neque parum conferet, si magnatum aut principum discretione caute et secrete nutriantur cum mutua virium instractione. Quod si animadverteretur verisimiliter, conciliandas societas quam primum illas conciliare contendet, ne aliunde præveniatur ingeneranda omnibus modis præsertim vulgo et magnatibus opinio de societatis erectione per singularem providentiam divinam, juxta prophetiam Jo-

 achimi

achimi abbatis, ad hoc, ut ecclesia depressa ab hæreticis elevetur.

Cum magnatum et episcoporum gratia obtenta occupandi pastoratus et canonicatus ad reformationem clerici exactiorem, qui olim sub regula certa cum episcopis suis vivebant, ad perfectionem tendebant, ac tandem ad abbatias et prælaturas aspirandum, quos attenta ignavia et stupiditate monachorum, ubi vacaverint, *non* erit difficile assequi. Etenim ex re ecclesiæ omnino foret, si omnes episcopatus a societate tenerentur, imo, ut sedes apostolica possideretur; præsertim si pontifex princeps temporalis bonorum omnium fieret. Quare omni ratione temporalia societatis, prudenter tamen, in secreto paulatim extendenda; neque dubium, quin hinc aurea sæcula et per continua ac universalis et benedictio divina ecclesiam comitaretur.

Quod si spes non affulget, ad hoc perveniendi, cum equidem necesse sit, ut

veni-

veniant ſcandala, pro tempore erit invertendus ſtatus politicus et incitandi principes, ut noſtris familiariter utantur ad bella mutua et importuna; ut ſic ſocietas imploretur ubique et impendatur reconciliationi publicæ, et communis boni auctrix primariis beneficiis et dignitatibus eccleſiaſticis compenſetur. Denique hoc ſaltem ſocietas conabitur efficere, acquiſita principum gratia et authoritate, ut, a quibus non amatur, ab iis ſaltem timeatur.

FINIS.

Lectori Editor.

Ne aut mea, aut operarum culpa quibusdam hujus libelli locis obſcuritatem obtigiſſe putes, ſic habeto. Manuſcriptum hoc, quod cui debas jam nec tua quidquam intereſt enarrari, nec mea, peſſimo uſum librario tanta ipſius inſcitiæ ac ſtupiditatis argumenta ſingulis fere plagellis retulit, ut, ſi tui minus ſtudioſior fuiſſem, libellum conſiliumque edendi abieciſſem. In quo edendo, cum aliena culpa uſibus tuis intercipi nollem, ita ſum verſatus, ut, quæ ſcripturæ diſtinctionisque menda eſſe conſtabat, ea, quam potui, diligentiſſime tollerem, alia, quorum origo altius repetenda videbatur, ea fide ac religione exhiberi curarem, quam in prodendis aliorum laboribus præſtari oportet. Ac ne perpurgando ſtudium meum deeſſe videatur, cui edendo in hanc lucem opera aderat, nunc jam loca illa,

quæ

æ legentes tenere possunt, recensebo
inique adiiciam, sicubi occurrebat, aliam
endi rationem, integra unicuique aliud
njecturandi facultate servata.

g. 4. lin. 9. „exponanturque suis„ leg. *opponanturque his.*

g. 6. lin. 24. „habeant certam„ leg. *habeant incertam.*

g. 7. lin. 13. „sacrum autem esse, quantum crumena romana continet„ legi etiam potest, *quantum corbona romana continent.* Mendum occupavit vocem corbona sive crumena.

g. 9. lin. 14. „Et sic„ leg. *Et si.*

g. 11. lin. 11. „illis munumento„ leg. *momento.*

g. 24. lin. 21. „sed qualis fuit paucæ &c„ forsitan, *sed qualem vult Paulus div.*

g. 26. lin. 12. „donec spoliis plerisque et plenariis egipti exuviis„ N. L.

g. 28. lin. 21. „nec permittantur„ forsi. *ac permittantur.*

Pag.

Pag. 39. lin. 1. „tantum ad ſummum potterit vulgus obmurmuratione.„

Pag. 48. lin. 22. „atque exire inter maris cadavera.„

Pag. 50. lin. 22. „intentiones. Dimiſſique circa,„ forſ. *intentiones dimiſſi. Quo circa:*

Pag. 51. lin. 9. „teneantur,„ leg. *terreantur.*

Pag. 68. lin. 19. „et per continua ac univerſalis et benedictio.„

Alia, quae lectorem in hoc genere latinitatis parum verſatum morari poſſunt, quia auctoris magis, quam librarii peccata eſſe ſuſpicor, praetereo. Vindicare enim auctoris verba, non emendare, animus erat. Vale.